



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

I. De quibusdam sacerdotibus, qui amicti pallio, & lumbos praecincti, in ecclesia ministrabant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

facta compungunt. Nec silere possumus, cum ad hoc ut ab illicitis reuocemus aliquos, officii nostri prouocemur instinctu, in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes, & quæ coercenda sunt resecemus, & quæ obseruanda sunt fanciamus. Et quamvis circa longinqua spiritualis cura non deficit; sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendit: nec notitiam nostram subterfugiunt, quæ in euersionem regularum nouellæ præsumptionis auctoritate tentantur.

I.

Didicimus enim, quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inseruire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, si contra ecclesiasticum morem faciunt qui in ecclesia non creuerunt, sed alio venientes itinere, secum haec in ecclesiam, quæ in alia conuersatione habuerant, intulerunt. Amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt se scripturæ fidem, non per spiritum, sed per literam completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter seruarentur; cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus una cum baculo teneantur? Habent suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis qua decet significatione seruentur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentiibus boni fulgor operis, de quo dicitur: *Opera vestra luceant*, indicantur. Habeant tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul a ceteris degunt. Vnde hic habitus in ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque pontificum, in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; conuersatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus nouitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum superuacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quam illudendi. Nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt. Erant quidem multa, quæ pro disciplina ecclesiastica, vel ipsius rei dicere ratione possemus: sed ab his ad alia deuocamur.

Concil. Tom. 4.

PPP